

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



- I. Eximius Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-
secratum à M. Zacharia Wommengiero.
- II. Causarum coniectio, quibus moti Status Regni Bohemæ ad Novi
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~Eximius~~ Eximius ad Christianum Danicæ Regem Jan. Angelii.
- V. Soteria Academia Wittebergenfis Johanni Georgio Electori Saxe Soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Princi-
pis Anhaltini M. Mæsi Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur ad Eodem.
- VIII. De Vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdissam.
- IX. Narratio Uborum de Johanni Georgii Principis Anhaltini Vita et Obitu.
- X. Halitudo in Thennis Francofurtane D. Cyriaci Herdissam.
- XI. Casparis Romani Evergetes Christianus de Vita et Morte Georgii
à Schönauich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dreyemii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Joachim-
ica Eiusdem.
- XIV. De Eravitione, Utrum Literarum Cultorib. pht peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonie M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Joachimi Strassburgi Wilhelmi Strassburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi in choro sumere sublatis.
- XVIII. Programmum Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdissam.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatia Martini Altagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianum de Schließen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdissam.

XVX. 28

ANNI
CL. I. CXIII.
GYMNASMATA
ÆSTIVA

Lectioꝝ
Disputationuꝝ
Declamationuꝝ

In Electorali Gymnasio
Vallis Joachimicæ

publicè instituta

Quibus addita semestri proximo
proponenda.

Aristides Oratione Panathenaica.

Τεχνη ὡς ἀληθῶς καὶ ἀρετὴ καὶ διαφερόντως ἀνθρώπων,
ἢ ἐν μαθήμασι καὶ λόγοις.

Artes & literæ sunt hominis verè purum & pro-
prium alimentum.

Excudebat

FRIDERICUS HARTMANNUS,
Typographus, Bibliopola & Bibliopegus in Athenæo
Marchico.

ANNO M. DC. XIII.



ANNO DOMINI
MDCCLXXII
Gymnasium

In diebus

Quibus

ACTA

ANNO MDCCLXXII



GYMNASMATA

I. Classis

THEOLOGICA.



Adtenus diligenti expli-
catione & Resolutione
percurrit Compendium
Theologicum. Dn. Do-
ctoris Pelargi usque ad lo-
cum de persona Christi.

Sequenti tempore *σὺν θεῷ* residuam par-
tem pari diligentia adjiciet. Similiter 1.
Petri Epistolam Babylone scriptam du-
plici methodo explicavit, 1. scholasticè
in scholâ 2. populariter in Ecclesia. In
posteriore Epistola Petri quam contra
Eusebium & Orientalem Ecclesiam *ἐνδιὰ-
σηκον* esse statuit imposterum parem me-
thodum observabit. *Pastor.*

A 2

Logica.

LOGICA.

Librum *ἡ ἐπιμνηστικὴ* secundam
mentis operationē infor-
mantem, Cū duobus pri-
orum Analyticorū Syllō-
gismi naturā & propria cō-
cernentibus absolvit, textum Græcum
quantum fieri potuit, percurrit, dubia e-
nodavit & explicavit, oniniaque publi-
cis disputationibus ventilanda propofu-
it: Perget in posterioribus Analyticis &
Topicis. *Rektor.*

IN RHETORICIS.

Librum *ἡ ἐπιμνηστικὴ* de natura Rhetori-
ces, iterum aggressus est. Do-
ctrinam Inventionis secun-
dum genera causarum, ex
præceptis Hermogenis, Ci-
ceronis, Quintiliani & aliorum explica-
vit, exemplis frequentibus præcepta il-
lustra.

lustravit, Subjunget his doctrinam de
argumentis *πραθηλικῶν & ἠθικῶν* cum disposi-
tione idem. *Rector.*

IN PHYSICIS.

Aνακεφαλαίωσιν singulorum librorum &
capitum instituit, & ad meteorologi-
cos libros perrexit, idem in reliquis ad
calcem libris fecisset, nisi gravissimus
morbus istam telam abruptisset. *Con-
rector.*

IN ETHICIS.

Librum tertium & quartum *νικημαχείων*
ad finem deduxit, textum Aristotelis
addidit, dubia explicavit, nobiliores
sententias & *σεφαισιους* notandos injunxit.
Idem faciet in sequentibus. *Rector.*

IN MATHEMATICIS.

In sphaericis generalia de loco, figura,
& magnitudine terræ tractavit, de cir-
culis cœlestibus, de Zonis, de ascensionibus,
A 3 bus,

bus, de Ortu & Occasu poetico, de variis
respectu elevationis poli, terræ inhabi-
tatoribus absolvit. Sequenti hyemali
tempore doctrinam de Eclipsibus & ad-
spectibus & locorum distantis additu-
rus simulque verum usum globi cœlestis
nec non Ephemeridium monstraturus
Mathematicus.

JN ARITHMETICIS.

R Regulam Detri repetiit, & quomodo
ex duabus proportionibus proportio-
nalitas constituatur docuit, & quâ ratio-
ne datis tribus terminis multiplicatione
secundi in tertium, & producti divisione
per primum, quartus ignotus reperia-
tur, demonstravit, non interea iis quæ
Solaria concernunt neglectis. *Idem.*

In Lingua Latina

eaque soluta.

R Oscianam Tullij tantum non perora-
vit,

vit, faciet propediem, & quæ pro Q. Roscio Comædo idem dixit, & à temporis injuria vindicata, supersunt, videbit.
Subrektor.

JN LIGATA.

PLauti Bacchides propter cognitionem antiquitatis & Elegantiæ obiter percurrit. Cui subjunxit Medeam Senecæ, præmissis quæ faciunt ad naturam Tragediæ, ejusque partium essentialium & accidentalium ex Aristotelis libro de Poetica. Tragedia hac explicata ad Virgilium accedet & in Æneide nobiliores locos Homeri & Virgilii inter se conferret & contendet, ut discipuli judicium acuere, & Poetæ utriusque excellentiam cognoscere, suaque carmina dexterius eliminare possint, *Rektor.*

Carmen seculare Horatii explicavit. Horatio adjunxit Aurelium Prudentium quem D. Lutherus in scholis pueris præle-

prælegi optavit. Cumque de sententia
Erasmi multa sint in Prudentio, quæ nõ
nisi à solis Theologicis intelligi queunt,
præter analysin Logicam & Rhetoricam
rerum Theologicarum in eo contenta-
rum explicationem non intermisit.

Corrector,

In Græca Lingua

eaque soluta.

DEmosthenis Orationem de Rep. ordi-
nanda maximâ ex parte absolvit, Lo-
gicum & Rhetoricum artificium com-
monstravit, Græcam Linguam & quæ
ad Imitationem faciunt, excussit, illis,
quæ superant absolutis, ad Orationem
de Haloneso perget. *Rektor.*

IN LIGATA.

BAtrachomyomachiam Homeri, quæ
sapientiam habet in recessu, licet pri-
ma fronte ridicula appareat, proposuit,
&

& ad Logicas & Grammaticas leges revocavit. *μυθολογίαν* cum primis ex isto carmine notandam, vanitatem scilicet & miseriam rerum humanarum, nec non *ἀμνησίας* injuriarum & *φιλησιχίας* studium à Poeta commendatum, teneris adolescentium animis ingerere studuit. Imitationes etiam in rebus sacris exprimendas exercendi styli gratia monstravit. *Con-
rector.*

In Lingua Hebraica.

EX Psalmis Davidis 38. 39. 40. 51. 102.
103. 122. 130. 143. exposuit, & genuinam
& propriam interpretationem ex doctis-
simis Interpretibus inculcavit discen-
tibus. Postea singula textus verba & ac-
cētus ad Grammaticas præceptiones ex-
aminavit. Exercitia etiam styli subinde
urfit. Propter novitios paradigmatum
inflexionem continuavit, nec puerili-

B

um

um præceptionum repetitionem fastidit, *Idem.*

Secunda Classis IN THEOLOGICIS.

§ Scholam doctrinæ christianæ Rever.
Dn. D. Christophori Pelargi iterum
ingressus, priorem ejus partem quæ est
de primo DEI opere maximè illustri
providentia nimirum, quæ in omnipo-
tenti rerum Creatione, cui subjiciuntur
Loci de Angelis, Imagine DEI in homi-
ne, Libertate arbitrii, & de Lege: in mi-
rabili earundem conservatione, ad quã
pertinent capita de Magistratu Politico,
de Conjugio & Ecclesia & in Desertione
quoque earum justa, sub qua Loci de
Peccato, Cruce & calamitate, nobis ob
oculos versantur, absolvit: Locos de sacra
scriptura & de DEO aliquantò fusius
præmisit, & usitatissima illa tria Symbo-
la

la græcè & Latinè mentibus inculcavit:
ad opus DEI (σὺν θεῷ) alterum, quod est
de Prædestinatione dein accessurus.
Subrektor.

IN DIALECTICIS.

INter Locos rerum substitit. *Conre-
ktor.*

IN RHETORICIS.

Rhetoricam Melanchthonianam ex-
posuit integram, ubi opus visum, In-
ventioni, Dispositioni & Elocutioni a-
liorum præcepta adjunxit, Usum cum
in Terentio & aliis: tum maximè in O-
ratione Rosciana commonstravit, eun-
dem librum repetiturus. *Subrektor.*

IN ARITHMETICIS.

OMnia Exempla libelli Piscatoris sine
& cum fractionibus, additis etiam
aliis, proposuit, nunc ad regulas sequen-
tes accessurus. Inferiores etiam sese in-

B 2

addi-

additione, subductione, & Multiplicatione exercuerunt, quibus divisionem & regulam proportionum mox subiicit. *Mathematicus.*

IN MUSICIS.

PRæcepta Gesij enucleavit, & doctrinæ de Intervallis finem imposuit, accessum facturum proximè ad tonos. *Cantor.*

In Lingua Latina.

SYntaxin verborum Impersonalium latinam ex Dn. Philippo, cum Græca adhibito Posselio contendit, ut & sequentem Adverbiorum, Conjunctionum, Interjectionum. Prosodiam latinam adjecit, & de Orthographia iterum cepit, usque ad Pronomen in Etymologia progressus, ad residua perrecturus est. *Subrektor.*

Tres quæ restabant Epistolas lib. 7. pertexuit & 10. lib. 8. consueta methodo continuavit. *Cantor.*

Præter supra citatam Roscianam, quam cū Primanis communem habent secundani Phormionem Terentij, in Gymnasij Encœniis personis adornatam, introduxit, Andriam ejusdem usque ad Actum 4. deduxit, currente semestri Plaudite auditurus. Idem *Subrector*.

Explicationem libri secundi Georgicorum Virgilij ferè ad finem deduxit, observanda analysi Dialectica & Rhetorica ac repetitione Profodiæ: quo absoluto librum tertium eadem methodo explanandum suscipiet. *Diaconus*.

In Græca Lingua,

Græcam Crusij Grammaticam à Pronomine sumendo initium conclusit, aperienda ea erit & frequenti Usu exemplorum, ut ante factum rudioribus instillanda. *Subrector*.

Ex Isocratis Nicocle explanavit exordium, & primam Orationis partem,

B 3

quæ

quæ primas cum in pace tum bello Monarchiæ defert: residuas duas postea additurus. *Subrektor,*

Præceptionum Grammatices Usus in Evangeliiis Dominicalibus ostendit. *Cantor.*

Clasiss Tertia.

Compendium Dn. D. Pelargi iterum absolvit explicando, & ut memoriæ præcipua mandata sint, urgendo.

Cantor.

IN ARITHMETICIS.

Præcepta quæ extant in Compendio Piscatoris tertianis proposuit, & species priores usque ad fractiones absolvit, mensam Pythagoræ ut memoriæ traderetur, addidit, & ad fractionum & Regulam Detri accessurus est. *Organicen.*

IN MUSICIS.

Capita præcipua ad canendum necessaria,

faria, quæ extant in Compendio Barth.
Gesij, in primis scalam & mutationes vo-
cum memoriæ instillando absolvit, &
modulando infimos instruxit, postea ut
textus notulis applicetur dabit operam.
Idem *Organicen*.

In Lingua Latina
in Grammaticis.

Orthographiam, Etymologiam &
Profodiam percurrit. *Cantor*.

IN SOLUTA.

Ciceronis Lælium auspicatus est. Idem,
Librum tertium Epistolarum Cic, ad
famil. explicandum aggressus est, adjun-
cta repetitione Grammatices & Synta-
xeos. *Diaconus*.

Librum tertium Sacrorum Dialogo-
rum Castellionis absolvit: jamque ver-
satur in explicatione lib. 4. *Idem*.

Evangelia Dominicalia & præcipuo-
rum

rum Festorum, tum Græca tum latina
exponit, eorumque repetitionem Gram-
maticam declinando & conjugando in-
stituit. *Idem.*

Libellum Erasmi de Civilitate morū
penè ad finem exponendo juxta *Etymo-*
logian & *Syntaxin* pertexuit, quo ad finē
perducto iterum incepturus est, & ut me-
morix tradatur urgebit, & convenientiā
concinnitatēq; morū ostēdet. *Organicen.*

IN LIGATA.

EClogas Virgilij, quæ inscribuntur Pol-
lio, *Daphnis* & *Silenus* exponendo, re-
petendo, memorix inculcando absolvit,
quantitatem syllabarum & regulas figu-
rasque syntaxeos diligenter examinavit,
finito examine σὺν ἑαῶ in sequentibus per-
recturus est. *Organicen.*

In Lingua Græca.

IN Grammatica Græca Crusij usque ad
verba

verba circumflexa contendit. Sequentia
subjiciet. *Cantor.*

Evangelia Græca de quibus etiam an-
tea explicuit. *Diaconus.*

ἈΠΟΣΤΡΕΨΕΙΣ

DISPUTATIONUM ÆSTI-
varum publicè propositarum.

An. 1613.

Ex *Physicis de sensibus internis & ani-
ma rationali*, Præside Dn. *Correctore.*
Resp. *Johan. Georg. à Manteuffel* 1. Maij.

Ex *Ethicis, de principiis humanarum
actionum* disputatio habita est. Præside
Dn. *Subrectore.* Resp. *Andrea Topffio*
8. Maij.

Ex *Theologicis de cruce & calamita-
te, peccati nimirum effectis*, Præside *M.
Urbano Sobolo Pastore.* Resp. *Christophoro
Sebesto* 15. Maij.

C

Ex

Ex Logicis de enunciatione ejus parti-
bus natura & divisione. Præsides Rectore.
Resp. Joanne V Wendlero Schonbecensi 22.
Maij.

Ex Ethicis, de ἀρεταῖς, & reliquis actio-
num humanarum principiis. Præsides Sub-
rectore. Resp. Ioachimo Sinapio Stendali-
ensi 29. Maij.

Ex Theologicis, de fide justificante.
Præsides Pastore. Respond. Joanne Vrsino
5. Junij.

Ex Physicis, de principiis rerum natu-
ralium. Præsides Conrectore. Resp. Joanne
Fritzio 12. Junij.

Ex Logicis, de adjunctis & affectionis
bus Enunciationis. Præsides Rectore. Resp.
Laurentio Pratorio. 19. Junij.

Ex Ethicis, de Fortitudine. Præsides
Subrectore. Resp. Gregorio Crukenberg.
26. Junij.

Ex Theologicis, de Prædestinatione.
Præ-

Præside Dn. Pastore. Resp. Christophoro
VVachtmanno 3. Iulij.

Ex Logicis, de Syllogismi γανέσι. Præs-
ide Dn. Rectore. Resp. Cunrado UWeibe
Holsato 17. Iulij.

Ex Physicis, de natura & motu. Præs.
Dn. Conrectore. Resp. Gregorio Cernicio
24. Iulii.

Ex Ethicis, de Temperantia, Præside
Subrectore. Resp. Samuele Gloxino 13. Iul.

Ex Theologicis, de Evangelio, Præs.
Dn. Pastore. Resp. Iacobo Harken 7. Aug.

Ex Logicis, de Ἐποεία μετὰ σέων & ἀναλύσι,
Præs. Dn. Rectore, Resp. Cunrado UWie-
be 14. Augusti.

Ex Physicis, de loco, cui annexa dispu-
tatio de vacuo, & tempore externis rerum
naturalium accidentibus, Præs. Conrecto-
re. Resp. Thoma Crusio 21. Augusti.

Ex Ethicis, de Liberalitate, Præs. Dn.
Subrect. Resp. Davide Gloxino 24. Aug.

C 2

Ex

*Ex Physicis, de mundo, Præf. Correctore. Respond. Hieronymo Brunne-
manno 4. Septemb.*

Ex Ethicis, de Magnificentia, Præf. Subrectore. Resp. Christophoro Florichio 11. Septemb.

Ex Ethicis, de virtutibus circa honores magnanimitate, & modestia, Præf. Dn. Subrectore. Resp. Theodoro Hoffmanno, 18. Septembr.

Ex Logicis, de affectionibus Syllogismi, & imperfectis argumentationibus, Præf. Dn. Rectore. Respond. Nicolao Thoma, 25. Septemb.

CATALOGUS
DECLAMATIONUM
ÆSTIVARUM
anni 1613.

19. Maij. Herodis filij ex Mariamne suspecti patri de insidiis causam in præ-
sencia

sentia Augusti dicunt Romæ, & Patri
reconciliantur, ex Iosepho, & Hegesip-
po: tota res in Orationes 4. digesta.

Fridericus Ludovvicus à Burgstorff,
*personam Alexandri Herodis filii Oratione
defendit.* Ludolphus à Mandelslo *Aristo-
buli vices sustinuit.*

Joannes Georgius à Manteuffel *sub
Herodis persona Orationem habuit.*

Erasmus Seidelius *vices Augusti ges-
sit.*

2. Junii *Georgius Fettebacius recitavit*
4. lib. Æneid. Virgilij.

16. Junii *Gregorius Cernicius pro pe-
regrinatione suscipienda recitavit.*

16. Junii contra Socratem *κατηγορία* ex
Xenophonte, Platone, Diogene Laertio
& Aristophane, & pro eodem *ἀπολογία* in-
stituta est à *Iacobo V Villichio & Iacobo
Gerhardi.*

23 Junii de Iohanne Baptista Oratio-
nem habuit *Ioachim. Schertzius. Belitz.*

30. Iunii Accusationem instituit cōtra filios Cœlii Tarracinensis, qui autore Cicerone pro Roscio Amerino manè mortuus est inventus cum nemo præter duos filios, in cubiculo adesset, *Andreas Topffius.*

Defensionem pro iildem *Christoph. Sebestus* ad imitationem Roscianaë Ciceronis.

7. Iulii Animam non traduce natura propagari, sed immediatè à Deo adhuc increari, & inspirari, dixit *Ioachimus Sinapius Stendaliensis.*

14. Iulii de studio Theologico, *Laurentius Scultetus Tangr.*

21. Iulii Orationem de Resurrectione Gypriani elegantem recitavit *Erasm. Seidelius.*

28. Iulii An Alexander devicto Dario, oceanū naviget ex controversiis Senecæ disceptavit *Cunrad. VVeibe Holsat.*

4. Au-

4. Augusti De Francisco Rege Gal-
liæ dimittendo à Carolo V. & an sine
fructu, an verò magno cum emolumen-
to? recitarunt ex Guicciardino. *David*
Gloxinus Femariensis & *Hieronymus*
Brunneman Coloniensis.

11. Augusti Quod juramentum vi ex-
tortum latroni non sit præstandū evin-
cere Oratione conabatur *Samuel Gloxi-*
nus. Sententiam verò contrariam tueba-
tur *Christoph. VVachtmannus* Putlitz.

25. August. In fundationem illustris
Gymnasii Brandenburgici, carmen reci-
tavit *Ioachimus Schertzius*.

1. Septembris. De studiis literarum,
non deferendis *Thomas Crusius* perora-
vit.

8. Sept. Contra peregrinationem,
Gerg. Krukenbergius Primislaviensis.

15. Sept. De structura totius universi
artificiosissima *Andreas* dixit *Christianus*
Scultetus Perlebergensis.

ORationem de Græcorum gymnasio-
rum cum nostris convenientia publi-
cè in *Encæniorum* festiuitate in Bartho-
lomæi diem incidente habuit Subrector,
sub cuius finem *DE O* immortalis, illu-
strissimoque *Electori* gratias pro bene-
ficiis magnificè præstitis solidas medita-
tus, multa que impofterum fausta Gy-
mnasio, ejusque Conservatori
precatus est.

F I N I S.



Nh 122

ULB Halle

3


002 714 272



st

1017







XVX. 28
ANNI
CI^o. I^o. CXIII.
GYMNASMATA
ÆSTIVA

Lectioꝝ
Disputationum
Declamationum

In Electorali Gymnasio
Vallis Joachimicæ

publicè instituta

Quibus addita semestri proximo
proponenda.

Aristides Oratione Panathenaica.

Τεχνη ὡς ἀληθῶς καθαροὶ καὶ διαφορήντως ἀνθρώπων,
ἢ ἐν μαθήμασι καὶ λόγοις.

Artes & literæ sunt hominis verè purum & pro-
prium alimentum.

Excudebat

FRIDERICUS HARTMANNUS,
Typographus, Bibliopola & Bibliopegus in Athenæo
Marchico.

ANNO M. DC. XIII.

